Dissertatio inauguralis de xenodochiis / vulgo von Hospitälern oder Lazarethen.

Contributors

Randel, Christoph.
Fürstenau, Johann Hermann, 1688-1756.
Universität Rinteln.
Hospitalern oder Lazarethen.

Publication/Creation

Rintelii : Typis Enaxianis, [1734]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nnb5uhtw

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

25

Q. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE

XENODOCHIIS,

VULGO

Von Hospitälern

Oder

Lazarethen.

QVAM
BENEVOLO ORDINIS MEDICI INDULTU
IN ACADEMIA ERNESTINA
PRAESIDE
D. JO. HERMANNO FüRSTENAU,
PRIMARIO MEDICINAE, OECONOMIAE ORDINARIO PROFESSORE,
PRO LICENTIA
IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
ET DOCTORIS GRADVM
D. XV. NOV. CIↃ IↃCC XXXIV.
H. L. Q. S.
PVBLICO ET PLACIDO SENATVS ACADEMICI EXAMINI
EXPONET
CHRISTOPHORVS RANDEL,
MAGDEBVRGENSIS.

RINTELII TYPIS ENAXIANIS.

DE
XENODOCHIIS,
VULGO
Von Spitälern
DICTIS
Hospitiis.

DIGNITATIS ORDINIS MEDICI INSIGNITI
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. IOANNE HERMANNO FUCHSTEINIO,
MEDICINAE DOCTORE, CHIRURGIAE PROFESSORE
PRO GRADU
IMPETRANDI SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES
ET DOCTORIS GRADUM
PUBLICE ET SOLENNITER ADIPISCENDI
EXHIBET
CHRISTOPHORUS RANDEL,
HAMBURGENSIS.

LIPSIAE, TYPIS BRAUNIANIS.

I.

uod ſi de vera valetudinem conſervandi, morbosque profligandi ratione ſollicitus quispiam fuerit, is certe haud felicius citiusve eandem inibit ac ſi prudenti & ſedulo cauſarum, quæ utramque efficiunt & fulciunt valetudinem inſtituto examine ſalubrium æque ac inſalubrium veram conſequatur notitiam, ita tamen, ut exactam ſui ipſius cognitionem prius acquirat, quidque profit corpori, quid vero noceat, quid animum erigat proſternatue, ſedulo attendat, quam ad cauſarum ſcrutinium accedat. Utriusque vero cauſæ valetudinis fere ſunt infinitæ. Quod ſi enim a Deo O. M. unico ſalutis fonte diſceſſeris, cuncta quæ nos circumſtant, valetudinem certa ratione conſervare, aut labefactare & frangere queunt. Communiter tamen ſenario comprehenduntur numero valetudinis cauſæ utriusque, quæ proinde quod pro recto aut non recto uſu ſanitatem pariter ac morbos producere ſunt aptæ, res non naturales medicorum filiis appellantur, inepta, ſi fatendum quod res eſt, appellandi ratione, cum nihil niſi quod maxime naturale, ordine ſuo comprehendant. Hoc vero nomine aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus

& vigiliæ, excreta & retenta, & animi pathemata venire ſolent. Quæ omnia quantum ad moderandam valetudinem conferant, ita cuilibet attendenti planum eſt, & in aprico poſitum, ut nullum relinquatur dubium. Sed vero plures eſſe cauſas valetudinis ratione probe conſiderandas, & venena & medicamenta demonſtrant, quæ tamen omnia & ſi quæ ſunt alia aſſumtorum genera, cibi potusque rationem habere plerisque creduntur, & rebus pariter non naturalibus accenſentur; idemque per omnia de operationibus chirurgicis, atque inſtrumentis aliis acie aut mole eminentibus, & lædere pariter ac juvare aptis intelligendum erit.

II.

Sed nec his omnem abſolvi cauſarum, quæ morbos & ſanitatem producunt, ſeriem, tum res ipſa loquitur, tum HIPPOCRATES autor eſt, qui poſtquam vitam brevem, artem longam, occaſionem celerem, experimentum periculoſum, judicium difficile duce veritate pronunciaverat, oportet autem, pergit, non modo ſe ipſum, nempe Medicum, exhibere, quæ oportet, facientem, ſed etiam ægrum, & præſentes, & externa. Externa iſta, τὰ ἔξωθεν, plura involvunt, quam ut paucis ea efferre liceat, videturque optimus Senex paucis multa, & omnia illa indigitare voluiſſe, quæ A. C. CELSO judice alias nec dici nec ſcribi poſſunt. Tot certe ſunt utriusque valetudinis præſidia, quæ vix milleſimo mortalium conceſſa ſunt omnia. Quod enim de ſano homine qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, idem affir-

I. Aph. I.

mat

mat CELSVS, quod nimirum nullis ſe alligare legibus debeat, ac neque medico neque iatrolipta egere. Iſtum quod oporteat varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere, & quæ ſequuntur plane egregia, ea quidem omnia rectiſſime ſe habent, ſed quis quæſo ſuæ ſpontis eſt? Plerosque ſane mortalium durum illud neceſſitatis telum cogit, aliis ut inſerviendo vitam miſeram trahant, aliorum itaque juſſu, inſtinctu, voto vitæ rationes inſtituere cogantur. Sed nec qui honeſtiore ſunt loco nati, qui munerum dignitate, aut generis nobilitate fulgent, ipſique Principes & Magnates, & quorum ad exemplum, nutum, omnia componuntur, ſi quidem ornare, quam accepere provinciam, velint, revera ſuæ ſunt ſpontis ſunt, belli pacisque tempore id ſedulo agentes, curantes, & cum valetudinis non raro detrimento molientes, ſubditis, regionibus, provinciis ut bene ſit, de ſingulis ut optime mereantur. Ita vero cum iis qui ſummo ſunt loco nati, & rerum omnium affluentia gaudent, cum ſit comparatum; quid demum de egenis fiet? Hi certe omnibus ſanitatis ſubſidiis deſtituti prorſus videntur. Sed ſalva res eſt: his enim natura aëris ſalubritatem libertatemque plerumque non invidit, alimenta parce conceſſit, ne copia facile nocerent, motum atque exercitationem corporis frequentiorem ipſa injunxit neceſſitas, ita ut, quoad ſani ſunt, & laboris amantes, de mediis ad ſanitatis conſervationem neceſſariis conquerendi nullam inve-

L. I. c. 1.

veniant causam. Quod si vero cum morbis hujus generis hominibus conflictandum erit, tum certe vitam revera miseram agunt, omnibus fere subsidiis sanitati reparandæ necessariis prorsus destituti, nisi aliorum opera subleventur.

III.

Hoc certe institutum illorum fuisse videtur, qui aliorum egestati atque indigentiæ facultatibus suis ut subvenirent, qui peregrinantium, decrepitorum orborum, pauperum, languentiumque commodis ut consulerent, xenodochia, nosocomia & nosodochia gerontotrophia, orphanotrophia & ptochotrophia magno instruxerunt apparatu, & necessariis quibuslibet vitæ subsidiis, alimentis, medicamentis, & quæ ad congruam singulorum applicationem spectant, adminiculis prospicientes ingentem sumtuum vim impenderunt. Vt vero nullum facile oppidum offenditur, quod non ptochotrophio aliquo, majori minorive apparatu instructo gaudet, ita veri nominis nosodochia in Germania nostra rarius occurrunt, aut si quæ dantur, minoris sunt apparatus, quam ut commemorari pluribus mereantur. „Talia, ut J. BOHNIVS, Medicus consummatissimus „ apposite scriptum reliquit, in Germaniæ civitati„ bus vix speranda erunt, si Viennam, Hamburgum „ & Argentoratum excipias, populosioribus & in„ structissimis xenodochiis gaudentes, quorum „ alumni vivi praxeos, mortui anatomes exercitio „ moderantibus Medicis insignis peritiæ quotidie „ subjiciuntur. Abundant & luxuriant vero his Bel-

d. offic. Med. diss. I. §. II. 15.

Belgium, Gallia, Anglia, Italia, magnis ſumtibus " & ſplendidiore apparatu ex tructis & enutritis, mi- " ſerorum infinitorum proinde ſaluti ac artis medi- " cæ incremento ſacrata. " Belgii ſane noſodochia quisquis unquam vidit, is de eorum ordine, elegantia, ſplendore, & magnifico ubivis apparatu vivum nactus documentum dictis haud temere fidem derogabit. Vnum quippe Amſtelodamum uti pro totius fere orbis aut cultioris ejusdem partis compendio a ſanioribus merito habetur, tot certe xenodochiis, noſocomiis, orphanotrophiis moriotropiis gerontrophiis ſuperbit, ut in ſtuporem rapiantur exteri, hæc talia oculis uſurpantes, & penitius examinantes. De Londinenſibus xenodochiis teſtem αὐτόπτην C. H. ERNDLIVM audire juvabit, hæc talia referentem: „Primum quod viſitavi, ex ædificiis " publicis erat magnum illud xenodochium publi- " cum, quod Anglice Charter-hous appellatur: per " totam Europam invenietur vix ullum, quod tam " inſignes ex Magnatum legatis poſſidebit divitias, " qvam hoc ipſum, ita ut reditus ex fundo annui " quinquies mille librarum anglicarum ſummam " conficiant. Aluntur in hoc ſenes pariter ac juve- " nes, maximam partem autem faciunt pueri pa- " rentibus orbi, quorum tenera ætas ab aliquot " præceptoribus hunc in finem conſtitutis ad pieta- " tem & humanitatem ſollicite informantur, bene- " ficia quoque apud hos minus ceſſant cum fine " pueritiæ, ſiquidem illi, qui literis operam dare " apti reperiuntur, in Academia Cantabrigienſi "

itin. Angl. & Bat. 1706.1707. *p.* 32.

„poſt-

p. 37. ſ. „ poſtea largiſſimis, pro ſtudiis proſequendis, fru-
„ untur ſtipendiis. Et porro: Inter rariſſima Lon-
„ dini numerandum etiam magnificum illud ædifi-
„ cium in Moor--fields, quod pro recipiendis ac
„ cuſtodiendis maniacis ac lunaticis eſt extructum,
„ ac Bedlam ab Anglis appellatur: pro regio palatio
„ primo intuitu hoc potius, quam pro ſtultorum
„ ac furioſorum receptaculo habebis, nec injuria
„ dixit Gallus ille de Anglorum ſingularibus a Re-
„ ge ſuo ſciſcitatus: poſſidere Londinenſes morio-
„ trophium, quod magnificentia vix cederet Pari-
„ ſienſium arci lupariæ (Louvre) ad quod Rex: næ!
„ Angli ingentem ſtultorum ex magnatibus nume-
„ rum habeant, neceſſe eſt, qui in erigendo hoc mo-
„ riotrophio tam ſumptuoſi fuerunt. Aedificium
„ hoc anno 1676. finitum & pretio 20000. librarum
„ anglicarum extructum eſt, quod ſuppeditatum a
„ civibus Londinenſibus. Interiorem ædium par-
„ tem faciunt duo in inſignem longitudinem exten-
„ ſa atria, ex quorum latere ægrotantium cubicula.
„ Alitur pro curandis his miſeris Medicus, & acci-
„ dit non raro, ut intra annum plusquam quadra-
„ ginta ex hoc loco ſani & curati ſecedant. Non
„ procul hinc a ſiniſtris in ſuburbio Hoxton xeno-
„ dochium publicum cernitur, cujus auctor fuit
„ Dn. ASK. Inſervit hoc ſuſtentationi viginti ſe-
„ num pauperum, ac totidem puerorum, ædifici-
„ um nitidum ſatis atque elegans. Reditus hujus
„ xenodochii ante aliquod annos inſigne habuerunt
„ augmentum ex legatione Dominæ Leadæ, matro-

næ famigerabilis. Et rurſus: Non procul Lon- " p. 45. ſ.
dino in diſtrictu illo, qui ad Weſtmonaſterienſe "
ſuburbium adhuc refertur, delectatus ſum viſita- "
tione magni illius xenodochii, quod ab adjacente "
vico Chelſey, Chelſey Hoſpital appellatur, & a "
Carolo II. in ſolatium militum læſorum vel exau- "
ctoratorum fundatum fuit, in cujus memoriam "
quoque ſtatua Regis Caroli ex ære conflata in "
medio areæ poſita cernitur. Aedificium hoc ma- "
gnificum opus eſt, tanto fundatore dignum. Ha- "
bet ſacellum cum duobus diaconis, Medicum et- "
iam & Pharmacopœum. Alit autem quadrin- "
gentos & ſeptuaginta ſex milites emeritos, exce- "
ptis locum tenente & reliquis officialibus, in com- "
modum alumnorum conſtitutis: pro ſalario di- "
ctorum officialium, famulorum famularumque "
tria millia librarum quotannis conſumuntur.

IV.

Pariſienſium quæ ſit ratio noſodochiorum, tum aliunde conſtat, tum ex his, quæ DANIEL HOFMANNVS memoriæ prodidit, clare intelligitur; is enimvero, quod a Deo nomen habet, noſodochium, & l'hotel de Dieu vocatur, ampliſſimam Medicorum ſcholam appellat, cum in eodem octo ægrorum millia, miſeris memorabilibusque afflictorum ſymptomatibus ſuſtententur, ac Medicorum & Chirurgorum ſubſidiis ſubleventur. In noſodochio, quod generale vaſtum nominatur, ſeptem hominum millia contineri, idem refert. In noſodochio charitatis, quod ſcopo medico aptius judicat HOFMANNVS,

diſſ. epiſt. d. util. peregr. gall. p. 2.

ægrotorum agmina, ut idem ſcribit, reperiuntur. Nec in aliis Pariſiorum noſodochiis qualia incurabilium, militum invalidorum, maniacorum, miſericordiæ, trinitatis, convaleſcentium &c. occaſio morbos rite cognoſcendi & promte tutoque curandi deeſt. Plura eam in rem commemorata leguntur a C. G. STENTZELIO, v. Cl. quibus ea, quæ N. BLEGNY poſteritati reliquit, addenda veniunt. Viennenſia noſocomia antea laudata juſto recenſita ordine, in MISCELLANEIS PHYSICO-MEDICO-MATHEMATICIS occurrunt. De Mediolanenſibus vero & Neapolitanis noſocomiis, quisquis plura noſſe cupit, is certe G. BVRNETVM ſi evolvet, quæ proſint ſimul & delectent, haud difficulter inveniet. Neapolitanorum ſigillatim noſodochiorum THOMAS meminit BARTHOLINVS, quando ad JO. RHODIVM alia inter, hæc talia perſcripſit. „Noſocomium incurabilium amplum ſæpe cum Severino amiciſſimo ingredimur, „ & raras operationes ejus chirurgicas ſpectamus. „ Aegri tamen rudius ab illo tractantur, niſi dicto „ ſint obedientes, aut vel verbulo muſſitent, aut „ de dolore conquerantur. Placet tamen pietas „ Nobilium Neapolitanorum, qui non raro epulas „ lautas ægris afferri curant, & ipſi, ne fraude intercipiantur, miniſtrant. Noſocomium alterum „ B. M. Annunciatæ magnificum eſt & ditius, in cujus inferiori coenaculo febres omnes tractantur, „ ſuperiori vulnera. Supremo in tecto locus eſt „ amoenus & patulus, quo admittuntur convaleſcentes, ut ſe reficiant, & ſenſim aëri aſſueſcant.

d. perverſa pathol. doc. diſc. & exerc. met. p. 19. ſ.
Zod. Med. Gall. A. IV. M. Nov. p. 340.
1728. M. Mart. p. 937.
itiner. per Helvet. ital. P. I. p. 308. P. II. p. 131.
Cent. I. ep. 49.

In

In inferiori ad latus dextrum peculiare eſt cœna- "
culum, in quod moribundi & deſperati importan- "
tur, ut Patribus Reverendis ſint vicini. " Quis-
quis itaque hæc & plura alia, eaque refertiſſima ex-
terorum noſocomia, S. Trinitatis Romanorum,
S. Spiritus Venetorum, S. Ludovici Pariſienſium,
Chriſto dicatum Londinenſium, aliaque in Belgio
& emporiis Germaniæ celebrioribus conſpicua
frequentaverit, haud difficulter obſervaverit, illa
non inquilinis tantum & civibus locorum, ſed ex-
traneis, tanquam totidem perſonarum miſerabilium
aſyla patere & dicata eſſe. Hunc enim in finem
tam liberalibus & divitibus ſubſidiis aluntur, ut ſu-
pra dictum S. Trinitatis noſodochium a Sixto V. *L. VII. c. 2. p. 676.*
novem mille coronatorum annuo reditu dotatum
ſit, ſicut ex SPRENGERI Roma nova M. B. VALENTINI *Chir. med. p. 526.*
ſatis opportune animadvertit.

V.

Quantumvis vero hæ & ſimiles de noſodochi-
is paſſim obviæ relationes originis eorum, quando
& quo autore fundata ſint, paſſim mentionem inji-
ciant; operæ tamen pretium erit antea quam de e-
molumentis exinde in univerſum genus humanum,
inque artem cumprimis ſalutarem redundantibus,
nævis item & defectibus eorum verba amplius fa-
ciam, in originem eorum paulo inquirere altius.
Quo quidem loco in tanta rerum caligine & ſcripto-
rum ſilentio fatendum ingenue eſt, vix certi quid
hic determinare licere. Enimvero Romæ quon-
dam templa diis gentilium ſacra & pacis ſigillatim

templum ægrotis recipiendis curandisque esse dicata, GREGOR. GIRALDVS existimat, qui ab ægrotis id frequentari consuesse, primo de diis gentium libro scriptum reliquit. Sed erroris illum HIERONYMVS arguit MERCVRIALIS, quod autoritate quadam GALENI falso intellecta permotus illud adseruerit, cum nullibi legatur, in illo aut in alio templo eos unquam versatos, præterquam in insula Tiberina, ubi Aesculapii ædes sitæ erant, & quodam alio loco in id extructo, ut qui ad ludos Circenses venirent, si forte fortuna ægrotassent, haberent, ubi commode curari possent. „Etenim, ut ejus porro verbis utar, in templo pacis convenire consuevisse „ omnium rationalium artium Professores ad disputandum, ipsemet Galenus in sermone de libris propriis manifestum fecit, medicos etiam „ Romæ non raro super ægrotos digladiatos, videre est in pluribus ejusdem commentariis. - - „ Attamen, pergit idem, id ignorari nolo, alibi quam „ Romæ languentes in templis quandoque detineri „ solitos fuisse, ut curarentur. Quod locupletissimus testis est Strabo in octavo Geographic. libro, „ ubi memorat, in epidauro, Coa insula, & Trica „ Aesculapii fuisse ædes, in quibus magna ægrotorum copia nutriebatur, tabellæque cum curationum inscriptionibus pendebant. An vero idem, „ vel quid simile fuerit valetudinarium, cujus loci „ habetur mentio apud Senecam L. I. de ira, & apud „ Columellam L. II. c. 1. 16. & L. 12. c. 3. 7. certe affirmare non audeo. Puto autem fuisse peculiarem lo-

Var. Lect. L. I. c. 13.

locum in unaquaque privata domo, ubi ſervi " tantum infirmi curabantur, & detinebantur eo " pacto, quo hodie in monachorum coenobiis ſimi- " li muneri peculiaris locus dicatus conſpicitur. " Hisce adjiciam & illud, tempore Hippocratis " conſueviſſe Medicos in domibus propriis lan- " guentes alere, ut majori ſedulitate eos curarent. " Hunc nimirum priſcarum fuiſſe morem gentium, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, ut ægrotantes in templis Deorum incubarent, auxiliaque ſibi per ſomnium a Diis, uti putabant, monſtrata, vel ab oraculis laudata magna uſurparent fiducia, atque effectus quos inde experti fuerunt, ſalutares, votivis in ipſis fanis ſuſpenſis tabulis, laudarent, poſteritatique commendarent, vir πολυμαθέστατος HENRICVS MEIBOMIVS inſigni eruditionis apparatu oſtendit, ſimulque oraculorum in arte medica uſum ex omni antiquitate eruit. Cui, alios ut taceam, JO. DAN. MAIORIS epiſtola ad S. STVRMIVM eam in rem conſcripta, ADAMI BRENDELII diſſertationes binæ græco idiomate conſcriptæ & anno ſeculi primo in Academia Vitenbergenſi publice ventilatæ, & quæ a V. Cl. JO. HENR. SCHVLZIO, & SALOMONE CELLARIO in eandem ſententiam docte ſunt diſputata, addi merentur.

d. incubat. in fanis Deor. med. cauſa fact. H. Conr. præſ. 1659. d. oracul. med. ergo quæſit. & votivis convaleſcent. tabel. περὶ τῶν φαρμάκων ἐν τοῖσιν ἱεροῖσιν ἐγκοιμήσει παρὰ θεῶν ητεμένων. περὶ τὴν ἐγκοίμησιν. Hiſt. med. Per. I. Sect. II. c. 3. §. 33. orig. & antiq. med. V.

VI.

Uti vero hæc talia paganorum ſuperſtitioni merito relinquimus, ita parum abeſt, quin quæ etiamnum florent a nato mundi Servatore extructa & largis ſumtibus partim fundata ſunt noſocomia eandem

dem ingeniorum peſtem, ſuperſtitionem inquam, agnoſcant originem, atque idcirco piarum ad claſſem cauſarum, ſeu ad ultimam, uti vocatur voluntatem, ad vota, ad legata, quæ a moribundis vel ultro fieri & præcipi, vel ab adſtantibus varias ob cauſas extorqueri ſolent, a viro conſultisſimo J. H. BÖHMERO ſat commode referuntur. Ac licet JO. BODINVS aliam paulo originem, occaſionem nonnihil diverſam, ſervorum nempe manumisſiones apud epiſcopos in eccleſia factas noſocomiis asſignet, re tamen penitius examinata, dictis neutiquam adverſari, quin eadem confirmare magis videtur. Ita autem ille: „ Nihil antiquius habuerunt ii, qui prima „ Reipublicæ chriſtianæ fundamenta jecerunt, „ quam ut chriſtiani ſervi aſſidue manumitteren- „ tur: ac plerique libertatis ſpe propoſita chriſtiani „ fiebant. Quin etiam in Africæ hiſtoriis proditum „ eſt, Paulinum Nolæ Pontificem, cum omnia, quæ „ in bonis haberet, ſub haſta vendidiſſet, ut ex pecu- „ nia coacta captivos Chriſtianos redimeret, ad ex- „ tremum Vandalis quod mirere, ſe ipſum vendi- „ diſſe. Inde ſervorum manumiſſiones apud epi- „ ſcopos in eccleſia factæ. Ex quo ſecuta eſt Con- „ ſtantini Magni principatu tanta tenuium ac egen- „ tium hominum multitudo, quibus nihil præter „ libertatem relictum erat, quique nullas artes didi- „ cerant, ut nulla re gravius civitates premerentur. „ Inde Xenodochia, Brephotrophia, Gerontoco- „ mia, Noſocomia, antea penitus ignota, Chriſtia- „ norum pontificum rogatione a principibus fun- „ dari

Iur. eccleſ. Prot. L. III. Tit. XXVI. p. 985.

L. I. d. Republ. p. 61.

„ dari & conſtitui cœperunt. Inde Baſilii concio-
„ nes, conquerentis, voces ac ſuſpiria languentium
„ in templis una cum Sacerdotum precibus confun-
„ di & miſceri. Iisdem fere temporibus Julianus
„ Auguſtus Paganus pontifices chriſtianorum ex-
„ emplo ad noſocomia & xenodochia extruenda ac
„ publicis privatisque opibus augenda cohortatur.
„ Et quoniam tenues liberi filios exponebant, ut
„ Chriſtianorum benignitate ac largitione educa-
„ rentur, Gratianus lege ſanxit, ut ſervitutem ſervi-
„ rent iis, a quibus educati fuiſſent.

VII.

Poſtea vero quam varii inprimis eccleſiaſtici ordines equeſtres cœperunt, cœperunt autem circa idem fere tempus quo expeditiones quæ vocantur cruciatæ ad propagandam fidem & expellendos a terra ſancta, quam occupaverant, Saracenos, magno numero & ingenti zelo factæ ſunt, id quod ſeculo a nato Chriſto fere undecimo & duodecimo contigit, ab ipſis equitibus, ordinumque præſidibus varii generis xenodochia & noſocomia fundata eſſe tum aliunde conſtat, tum a laudato modo BÖHMERO memorabili exemplo Hoſpitalis S. Johannis, quod Hieroſolymis quondam extitit, illuſtratum eſt. Ac fallor, annon de ordine Melitenſi omnium primo S. Joanni Sacro idem innuere THOMAS voluerit BVRTHOLINVS, Noſocomium, ſcribens, "Meliten- "
ſe duos habet Medicos, Gallum & Melitenſem, "
Chirurgos tres, per vices ægros inviſentes. Te- "
nentur & Equites ipſi ægros inviſere, & de neceſ- "
ſariis

l. c. p. 148.

„ ſariis proſpicere, habetque ſingula natio ſuam in
„ hebdomade diem, videlicet Germani veneris di-
„ em, quo novitii equites ægros inviſunt, & ut
„ commode cibentur, provident. Hisce autem diu-
tius immorari, præſentis non patitur ratio inſtituti.
Plura vero ſuppeditabunt GRYPHIVS, MIRAEVS, FA-
VINVS, GIVSTINIANI ET BONANI, BELLOY, TOVSSAINT
p. 75. DE SAINT LVC, aliique a J. B. MENCKENIO, Viro lit-
teratiſſimo in Hiſtoricorum Indice ſcriptorum ma-
gno numero recenſiti, qui de ordine equeſtri in
communi, aut de hoc, iſto ſigillatim expoſuerunt.

VIII.

Non poſſum tamen a me impetrare quin ordinis
S. Lazari, pleniorem paulo mentionem hoc quidem
loco faciam, quo xenodochiorum leproſis ſigillatim
dicatorum opportune recordor, quippe quæ ordini
iſti equeſtri procul dubio in acceptis referenda ſunt:
Illius quidem origo longe antiquiſſima & primo, aut
certe quarto a nato mundi Servatore ſeculo initium
cepiſſe creditur, ab aliis vero Balduino I. Hieroſoly-
mitano, qui inter duodecimi initia ſeculi vixit, ſi
non prima ejus origo, incrementum certe ejus ad-
ſcribitur. Monachi primum, hinc equites eun-
dem conſtituerunt, qui id ſibi negotii datum eſſe
exiſtimarunt, bellum ut infidelibus indicerent per-
petuum, peregrinis commoda pararent hoſpitia, atq;
adverſus Muhamedanos defenderent, inque primis
incurabilium leproſorum cõmodis ut invigilarent
& de vitæ ſubſidiis, quibus indigebant, ſolliciti es-
ſent, vide & ipſius denominatio ordinis orta eſſe
cre-

creditur. Illud certe memoratu dignum eſt, non ipſos modo leproſos ordini huic adſcriptos interdum eſſe, ſed & ipſum ordinis Magiſtrum, (der Groſsmeiſter) equitem lepra affectum eſſe debuiſſe. Quæ tamen conſuetudo ad decimi tertii medium ſeculi tantum perſtitit. Anno enim 1253 equitibus hisce leproſis a Saracenis & infidelibus in fugam conjectis & Syria expulſis, Innocentius IV. P. R. ordini ipſi, ſanos impoſterum equitum Magiſtros eligendi poteſtatem conceſſit. Diverſis deinde temporibus hunc ordinem equeſtrem Pontifices Romani immunitatibus ornarunt, tum Reges & Principes ingentibus auxerunt bonis. Quemadmodum a Ludovico VII. Galliarum Rege dicto juniore, peculiarem regionem Boigny dictam, & prope Aureliam ſitam dono datam hujus equites ordinis acceperunt, eamque Chriſtianis e Palæſtina ejectis incoluerunt. Poſteaquam vero lepra in regionibus occidentalibus multum a frequentia & impetu remittere, ac proinde actiones ordini huic ex prima ejus inſtitutione incumbentes uſu deſtitutæ viderentur; ille quidem dignitate ejus priſtina non parum hinc iminuta, cum Melitenſium ordine, ab Innocentio VIII. P. R. poſterioris precibus adſurgente, combinatus eſt, id quod factum A. O. R. 1490. Idem deinde licet a Gregorio XIII. P. R. 1512. cum S. Mauritii ordine conjunctus, & Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ una cum poſteris ejus Magiſter equitum conſtitutus fuerit; in Gallia tamen alius ejusdem ordinis magiſter ſæpius electus, ipſe vero ordo cum

ordine equeſtri de nôtre Dame du mont Carmel combinatus eſt, ſicut hæc & plura momenta alia ex fontibus ſupra laudatis hauſta in LEXICO VNIVERSALI HISTORICO legere eſt.

edit. noviſſ. Lipſ. P. II. p. 126. ſ.

IX.

Ad xenodochia igitur leproſis ſigillatim deſtinata, quæ in ſpecie lazaretta, germ. lazarethe vel & Siechen-haüſer appellantur, nunc devoluto ſermone non abs re quæritur, cur leproſoria magno paſſim numero, ingentibus ſumtibus quondam extructa, leproſis plerumque vacua reperiantur? Idem vero mecum poſt T. BARTHOLINVM ita locutum: „ Olim certe familiaris erat lepra in Inſulis „ noſtris Borealibus Feroënſibus & Islandia, ſicut „ noſocomia ibidem extructa teſtantur, quæ nunc „ vacua ruinam ruinantur: ante quinquaginta fere annos in Patavina Academia de Gallis ſuis CAROLVS quæſivit PATINVS his fere verbis: „ Mille ſunt „ xenodochia in Gallia leproſis dicata, quamvis in „ ampliſſimo regno nullus plane lepra græcorum „ Arabumque correptus langueat, quid ergo, qua„ les erant ipſi leproſi? Neque vero quærere tantum, ſed reſponſionem pariter aptam addere e re erit, quod antequam fiat, lepræ examen inſtituere ſuccinctum juvabit. In univerſum quidem morbus hic in lepram Græcorum & Arabum omnium conſenſu ſcriptorum diſpeſcitur, prout nimirum penes Græcos aut Arabes Autores ejusdem hiſtoria morbi diverſis enarratur modis, utriusque vero ſummus gradus ab omnibus elephantiaſis vel etiam leontiaſis

d. morb. Bibl. p. 55.

or. d. lue vener. Patav. 1687.

a cutis

a cutis ſumma craſſitie in hisce animantibus obvia denominatur. Et Græcorum quidem elephantiaſis per ſcabiem ferinam malignam & univerſalem, cum profunda cutis & carnis exulceratione, per totum corpus ſerpente, illudque ſquamis & corniculis elatis obducente deſcribitur, & hæc quidem cum lepra Arabum paria facit; elephantiaſis vero Arabum tumorem denotat ſcirrhoſum, varicoſum diuturnum pedum & crurum, ita, ut multos inter alios, quos brevitatis ſtudio ſciens volensque mitto, AMATVS perhibet LVSITANVS: "Elephantia Arabum pedum cum varicibus tumor, Græcorum vero elephantiaſis is morbus eſt, quem Chriſticolæ Sancti Lazari, vel vulgares lepram appellant, & eo infectos lazaros vel leproſos vocant." *Cent. 2. cur. 34. Schol.*

X.

Et Lazari quidem morbum quem plerique lepram appellant, THOMAS vero BARTHOLINVS, quod mirum, ſilentio tranſit, G. W. WEDELIVS, ὁ πάνυ pro ileo hæmatite Hippocratis venditat, opportune recordor in diſſertatione quadam ill. HOFMANNI præſidio habita ita excuſſum eſſe, ut peculiarem pauperum ſeu mendicantium morbum, eumque ulceroſum, variis exemplis parallelis illuſtratum conſtituat. Quo eodem loco elephantiaſis Græcorum ſeu lepra Arabum quæ & Satyriaſis ob tentiginem inexplebilem vocatur, tanquam morbus totius corporis fœdiſſimus & inſanabilis ex ARETÆO, FALLOPIO, LOMMIO, FORESTO aliisque fuſius deſcribitur, hisce porro additis: „ Hicce ſæviſſimus morbus primum

l. c.
P. P. d. Lazaro ante portam.
d. morbo Lazari.
§. 4. p. 8.
§. 6. p. 10.

„ in Aegypto, ſpeciatim Alexandria admodum fuit
„ familiaris, ac fere endemius, ob Aegyptiorum vi-
„ ctum ſordidum, ac impura ſubterranea habitacu-
„ la; quemadmodum teſtatur Plinius H. N. L.
„ XXVI. c. 1. Galenus L. II. de arte curandi c. 10.
„ Proſper Alpinus L. I. de Med. Aegypt. c. 14. Hinc
„ Lucretius L. VI. d. natura:

Eſt Elephas morbus, qui Nili flumina propter
Gignitur, Aegypto in media, nec præterea usquam.

„ Fuit igitur morbus ille tempore Cornelii Celſi
„ plane incognitus in Italia, quemadmodum ille
„ L. III. c. 25. atteſtatur. Poſtquam autem tem-
„ poribus Pompeji Magni, Julii Cæſaris ac Medici
„ Asclepiadis Romanus exercitus Aegyptum petie-
„ rat; ille reduxit ſecum contagioſum hunc mor-
„ bum in Italiam, teſtantibus Plinio l. c. c. 9.
„ Plutarcho ſympoſ. 8. probl. 9. propagavit. Ab-
„ hinc demum latius vagabatur hoc malum per Eu-
„ ropam, & maxime frequens fuit in Belgio, Gallia
„ &c. adfirmantibus Amato Luſitano Cent. II. cur.
„ 34 & Valleriola L. VI. enarrat. 5. Quum autem
„ lues venerea invaderet Europæas regiones; le-
„ proſus hic affectus fere penitus diſparuit, ſaltem
„ inter rariſſimos refertur. Ac porro de Lepra
Græcorum obſervatur, quod cutis tantum vitium
veteribus denotet, nec tam fœdam univerſæ faciei
deturpationem involvat, quanta elephantiaſi pro-
pria eſt. Plura vero de cauſis utriusque lepræ &
ſignis tum eodem loco, tum apud H. MERCVRIA-
LEM, M. B. VALENTINI, C. G. STENZELIVM aliosque an-
notata occurrunt.

§. 7. p. 11. L. I. c. 2. Prax. Med. Infall. p. 677. Prax. Chir. p. 928. d. morb. orig. p. 50.

XI.

XI.

Hisce pro instituti ratione delibatis nemo amplius mirabitur, tantam hodie leprosorum esse raritatem, ut xenodochia iisdem dicata passim vacua occurrant, posteaquam ex dictis satis constat, luem veneream passim per Europam invalescentem omnem fere lepræ memoriam obscurasse. Fœdam vero istam luem superioribus ignotam seculis a Græcis certe & Latinis Arabibusque nusquam hoc nomine notatam anno demum a recuperata mundi salute 1693. cum redeunte ex Indiis occidentalibus infecto Christophori Columbi exercitu Barcinonem primum in Hispaniis, mox deinceps expeditionis gallicæ occasione Neapolin & Italiam reliquam invasisse cum FERNELIO, FALLOPIO, BERGERO meo, aliisque pridem publice affirmare, ego Præses neutiquam dubitavi. Sed ut dies diem docet, cum ratione convenire haud videtur, lepram in morbum forsan gallicum esse astrorum vitio veneris abusu accedente transmutatam, quorsum JO. LANGIVS Medicus ejusdem fere ævi doctissimus quando causas novi hujus morbi vel renati potius evolvit, inclinare videtur; nec desunt qui luem veneream non novum, sed antiquissimum esse morbum, autoritate eorum, qui diu ante obsidionem Neapolitanam clari testantur, haud paucos jam olim ab immundis sordidisque mulieribus varia contraxisse vitia, affirmant, quo nomine DODONAEVM, GVIL. SALICETVM, qui 1270. claruit, VALESCVM ITARENTINVM, qui 1418. & BERNH. GORDONIVM, qui medio tempore vixit, a SCHENCKIO laudari

Desider. Med. p. 162.

d. eo quod divin. in H.L. p. 25.

L. I. ep. 42.

L. VI. obs. 8.

dari constat, nec sine ratione huc referre licet illa PRVDENTII:

Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto & cloacis inquinat
Dum spurca mendicat stupra.

Non video itaque quid obstet, quo minus utramque & Arabum & Græcorum lepram seu elephantiasin ipsam fuisse venereamluem, illam proinde non novum sed antiquissimum esse morbum, hancq; unam & veram esse rationem affirmemus, cur leprosoria pleraque leprosis hodie vacua deprehendantur.

XII.

Postea nimirum, quam morbus hic, quem lepram hactenus, nunc venereamluem appellare licebit, incurabilium classi hactenus adscriptus, exoticorum usu lignorum, inque primis prudenti mercurii applicatione sat feliciter curari cœpit, hoc vero IACOBVM BERENGARIVM CARPENSEM, qui & CARPVS alias dicitur, quiq; seculi initio decimi & sexti floruit primum & felicissimo quidem successu tentasse, G. FALLOPIVS autor est, quem deinde magno numero, nec impari successu alii imitati sunt, omnem lepræ incurabilis & leprosorum memoriam sensim eradicatam, xenodochiis adeoque leprosis dicatis pristinam dignitatem ademtam esse patet. Præterea vero & phænomena & signa utriusque lepræ ita sunt comparata, ut ad venereamluem, modo diversos ejus gradus neutiquam negligamus, haud difficulter applicari pos-

L. de morbo Gall. c. 76.

possint. Quod vero palmarium & princeps hujus conjecturæ est argumentum, eo inprimis tempore, quo lues venerea invaluit, & lepræ & leprosorum, & ordinis S. Lazari ut pridem est observatum, memoria evanuit. Quare & GVIDO PATIN lepram sæpe falso accusari, ostendit, ejusdemque filius CAROLVS PATINVS ad quæstionem supra propositam disertis respondet verbis: „ Lue venerea adfecti pro " leprosis audiebant, insanabilibus tunc temporis " ægrotantibus. " Ac cum in statutis facultatis medicæ Lipsiensis hodieque receptis Doctoribus medicinæ sub pœna injungitur, ut ne quis eorum de lepra affecto judicium ferat, & curam ejus in se suscipiat solus, addit, qui hæc refert ill. P. G. SCHACHERVS: „ utut lepra correptus, si a lue venerea adfectis " discesseris nullibi locorum inveniatur. "

L. I. ep. 104. p. 239.

l. c.

d. cephal. ex lue vener.

XIII.

Sed quid de Judæorum fiet lepra? cujus Sacra passim pagina mentionem injicit. Equidem vir summus G. W. WEDELIVS argumentis admodum speciosis nec minimi ponderis adserere non dubitat, Græcorum pariter atque Arabum elephantiasin, ipsamque, cujus in sacra pagina fit mentio, lepram a lue venerea neutiquam differre, ac proinde unam eandemque omnibus appellationem competere. Sed ut reliqua recte se habent, ita vereor an intelligentibus hæc, quæ sequuntur, tanti sint factura satis viri verba: „ Quod vero lepram aliam extraordinariam, ratione indumentorum, vel ædificiorum " & parietum seu inanimatorum attinet, hodie plenissime

Lev. XIII.

Ex. Med. Phil. C. II. D. IV. ex. 9.

l. c. p. 105.

„ nissime videntur cessasse, vel si quæ talia forte ac-
„ cidant, ejusdem sunt commatis, e suis causis ar-
„ cessenda, unde in his occupari latius non attinet,
„ vel aliorum disquisitioni relinquitur. Quare il-
lorum magis arridet sententia, qui Judæorum le-
pram pro sui generis morbo, vel pœna potius divi-
nitus immissa, & divinitus tollenda habendam
esse existimant. Ac licet quæ de lepræ contagio ve-
stimentis inhærente, iisque mediantibus latius ser-
pente, causisque adeo naturalibus a FRANCISCO VAL-
Phil. Sacr. p. 182. LESIO hujus occasione morbi afferuntur, neutiquam
sint contemnenda, non tamen idem de domo, de se-
de de cubili affirmare audet vir doctissimus, dolen-
l. c. dumque omnino est, ipsum pariter ac THOMAM BAR-
THOLINVM ubi de lepra Judæorum ipsis sermo est, eam
cum Græcorum & Arabum elephantiasi, quin &
cum morbo ipso gallico aperte confundere, nec nisi
trita & vulgaria ab illis adferri, id quod utriusque au-
toris eruditos alioquin inspicienti labores ad oculum
patebit.

XIV.

Reliqua, quæ etiamnum variis in locis florent
xenodochia uti miseris multis refugium, solatium,
quietem, ita medicorum filiis, artique salutari plura
pollicentur emolumenta. Ista vero doctissimus JO.
BOHNIVS satis esse luculenta, verbis ostendit pone se-
l. c. quentibus: „Nosodochiorum frequentia hoc inpri-
„ mis emolumenti rei medicæ præstat, ut in iis vi-
„ scera denatorum morbida scrutari hincque noso-
„ logias genuinas formare liceat, quod Anatomen
pra-

practicam vocant, tum etiam ut in illis omni re- "
rum necessariarum apparatu instructis autoritate "
& sumptibus publicis non tantum alantur & cu- "
rentur tot infirmi, sed Medici horum ordinarii, & "
inter hos Professores discentium etiam curam ge- "
rant, in horum corona grabatulos illorum visitan- "
do, affectus p. n. declarando, horum prognosin "
formando, ac medelam adornando, de singulis "
vero differendo, uno verbo per horum calamita- "
tes illorum studia formando, sicque privatæ æque "
ac publicæ saluti prospiciendo, id quod proprio
exemplo DANIEL confirmat HOFFMANNVS sequentem *l. c.*
scribens in modum: „Meliores equidem matuti- "
nas atque antemeridianas horas nullibi transigere "
utilius scopoque meo convenientius licet, quam "
in publicis nosodochiis inter tot ægrorum millia, "
tot gravibus complicatisque morbis laborantia; "
haberet sane hic Argus, quo omnes qui ipsi affin- "
guntur, oculos occuparet, in tanta successuum & "
prosperorum & adversorum copia, contemplan- "
da facilius quam enarranda. Et sane eadem mihi
mens fuit, eadem sorte usus sum, quando anno se-
culi undecimo Amstelodami per aliquot menses de-
gens, amplissima urbis xenodochia lustrandi occa-
sionem nactus singulis matutinis horis, præeunte
Cl. Medicorum Biga, CASPARE COMMELINO, & PETRO
GVENELON, quorum ille Gynæceum, hic virilis sexus
ægrotos curabat, utrumque invisi nosocomium,
nec nisi doctior inde recessi.

XV.

At enimvero cum multi ab uno vel paucis, A. C. CELSI judicio curari, debita nimirum ἀκριβείᾳ non possint, isque, si artifex est, idoneus sit qui non multum ab ægro recedat; fatendum omnino est, in ea ægrotantium multitudine, quibus vix unus alterque præfectus est Medicus, aliis insuper negotiis distractus, non omnia ad amussim peragi vel posse vel solere, sed, ut nihil est ab omni parte beatum, ita & xenodochia & nosocomia suis non carere nævis, quibus & præfectorum avaritiam, ministrorum oscitantiam, & fraudes haud immerito addas licet, quibus emendandis vix provida Magnatum cura aut divitum opes sufficerent. Videlicet cum totus hic mundus universale quoddam nosocomium a T. PARACELSO apposite appelletur, quod & divites & pauperes, & exteros & inquilinos capit, isque proinde omnium commodis mortalium velificandum esse, arguat, optandum sane, nescio an sperandum, talia ubivis terrarum deprehendi nosocomia, qualia in Vtopia sua occurrere, magna fiducia THOMAS affirmat MORVS his, quibuscum finiemus verbis:

L. III. c. 4.

*Spital-Buch, * Vorrede an die Reichen.*

Vtop. L. II. p. 144.

„ Sed prima ratio ægrotorum habetur, qui in pu-
„ blicis hospitiis curantur. Nam quatuor habent
„ in ambitu civitatis hospitia, paulo extra muros,
„ tam capacia, ut totidem oppidulis æquari possint:
„ tum ut neque ægrotorum numerus quamlibet
„ magnus anguste collocaretur, & per hoc incom-
„ mode; tum quo hi, qui tali morbo tenerentur,
„ cujus contagio solet ab alio ad alium serpere, lon-

gius

gius ab aliorum cœtu ſummoveri poſſint. Hæc "
hoſpitia ita ſunt inſtructa, atque omnibus rebus, "
quæ ad ſalutem conferant, referta, tum tam tene- "
raac ſedula cura adhibetur, tam aſſidua medico- "
rum peritiſſimorum præſentia, ut quum illuc ne- "
mo mittatur invitus, nemo tamen in tota fere "
urbe ſit, qui adverſa valetudine laborans "
non ibi decumbere, quam domi ſuæ, "
præferat. "

S. D. G.

SERIES CAPITVM.

I. II. Rerum Salubrium & Inſalubrium recenſio.
III. Xenodochia in communi, & Germanorum, Bataverum; Anglorum & Londinenſium ſigillatim.
IV. Gallorum & Italorum Xenodochia.
V. Origo noſodochiorum penes Gentiles.
VI. - - apud Chriſtianos.
VII. De ordinibus equeſtribus eccleſiaſticis.
VIII. De ordine S. Lazari.
IX. X. Cur leproſoria leproſis hodie vacua deprehendantur? & de lepra ſ. elephantiaſi græcorum arabumque.
XI. XII. Ejusdem argumenti continuatio, & de morbo Lazari. Lepram & luem veneream eſſe unum idemque, oſtenditur.
XIII. Lepra judæorum, de qua in Sacris.
XIV. Emolumenta a Noſocomiis in A. M. ſperanda.
XV. Navi eorum & defectus.

COROLLARIA.

I. *Medicamenta Chimica neutiquam sunt spernenda, & Galenicis non raro præferenda.*

II. *Ex marte, vitriolo, sale ammoniaco, & tartaro polychresta medicamenta parantur.*

III. *Quibus tamen, solaria medicamenta, ignis ope confecta, selecta & sulphurea inprimis palmam dubiam reddunt, in morbis quippe desperatis interdum efficacissima.*

IV. *Neque tamen ex hisce vel aliis panacea quædam speranda est.*

V. *Morbum Iorami Regis Iudæ 2. Paralip. XXI. v. 18. 19. veram fuisse Hecticam, non sine ratione adseritur.*

VI. παράδοξον *de mentis humanæ* ἀπαθείᾳ *nuper in scenam productum, modo rite explicetur, fit* ἔνδοξον.

VII. *Admiratio est filia ignorantiæ & mater philosophiæ.*

VIII. *Neque inepte, quisquis philosophiæ finis quis*

quis ſit? interrogatus, reſpondit: ignorantia, & neque videre, neque audire amplius quicquam.

IX. Datur αὐτοχειρία *medica licita & honeſta.*

X. *Argumentum, quod ex funiculi umbilicalis omiſſa ligatura pro infanticidio probando vulgo affertur, ingenti limitatione indiget.*

XI. *Medici Romæ quondam ſervi fuerint nec ne? quæſtio eſt magnis animorum motibus in Anglia pridem agitata, ſed quæ in logomachiam abire videtur, idemque de proſcriptione eorum Roma, quæ vulgo fertur, facta, habendum erit.*

XII. *Medici antiquisſimis temporibus vocati ſunt* χαρίεντες, *gratioſi, non a gratia vel clementia, ſed ab eruditione morumque elegantia, quoque ab imperita plebe atque ab empiricis inprimis diſtinguerentur.*

XIII. *Parabolani, quorum fit mentio Cod. L. I. Tit. III. qui inſcribitur de Epiſcopis, & Clericis, & orphanotrophis, & xenodochis, & brephotrophis, ptochotrophis & aſcetriis, & monachis & privilegiis eorum L. 17.*

quo-

quorumque ſexcentos ad curanda debilium corpora deputatos ibidem L. 18. legimus, non fuere Medici, ſed plebeji, qui famulitio vel eccleſiarum vel hoſpitalium & xenodochiorum deputati erant.

XIV. Dantur in Corpore Humano actiones plus quam mechanicæ.

XV. Omnes generationes & corruptiones fiunt per motum inteſtinum, cujus potiores ſpecies ſunt putrefactio & fermentatio.



EX-

* * *

EXPERIENTISSIMO
DOMINO
CANDIDATO SVO
S. D. P.
PRAESES.

Tria fere effluxerunt luſtra, quo nominis Tui fama, & medicamentorum haud vulgarium ignis ope abs Te paratorum, languentium plurium ſolatio cedentium effectus mihi primum innotuere. Quanti exinde Te fecerim, quodque pretium laboribus meritisque Tuis ſtatuendum duxerim, vel propterea ſilentio premendum arbitror, ne Te in faciem laudare, id quod inſignis Tua modeſtia minime concedit, aut quam documentis haud contemnendis probaſti, artis peritiam ultra quam par eſt extollere velle videar. Equidem non deſunt, qui omnia, laude ceteroquin non indigna vituperare ſoliti, chymica quoq; medicamenta, ceu nimis violenta, acria, noxia, periculo plena traducere, odiumque quod internecinum adverſus eadem in pectore alunt, ad alios quoque propagare & longe lateque diſſeminare ſtudent, miſochymici hinc merito dicti. Ex adverſo vero alii tantum chymicis medicamentis pretium ſtatuere ſolent, ut eadem ad omnia omnino morborum genera,

genera, radicitus extirpanda ſufficere rati aut veram panaceam, aut certe medicamentum ad illam quam proxime accedens illius ope inveniri poſſe, gloriantur, vel etiam ſibi de tanti poſſeſſione arcani præcipiti nimis impetu blandiuntur, omnemque adeo reliquum medicamentorum apparatum veramque medendi methodum inſuper habentes, ac propriis non raro arcanis nimium confiſi bene agendi occaſionem e manibus elabi ſinunt. Medio tutiſſimus ibis; & Galenica & Chymica medicamenta valetudini ſi qua fuerit labefactata, reparandæ inſerviunt, neque ſola mineralia eidem ſufficiunt ſcopo, cum & auxiliis ex animali & vegetabili regno petitis vis atque efficacia inſignis neutiquam ſit deneganda. Ita vero TE mecum ſentire, eandemque in morborum curatione ingredi viam, tum variis hactenus experimentis, tum Medicorum inprimis ordini, variis eam in rem inſtitutis periculis abunde demonſtraſti. Hujus igitur indultu cum honores in arte ſalutari ſupremi, quos Doctorales vocant Tibi ax merito conferantur, nihil amplius addo, ſed toto pectore acclamo antiquum illud: FELICITER! Vale! & ſub benedictionis divinæ tutela ſecurus res Tuas ex voto perage, meque amare perge!

Et ſic iterum Vale! Dab. e Muſeo d. XI. Nov.

CIↃ IↃ CC XXXIV.